Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

**Molter, Johann**

**[Karlsruhe], 1783-1800**

[Eppelin, Gustav Friedrich]: Ad locum Horatii comentatus est, 4 März 1797

urn:nbn:de:bsz:31-99849

Visual Library

Ad locum Horatii
commentatus est
G. F. Eppelin. Med. St.
die IV Martii a. 1797.

14 Jrn

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Graviſſime Director!
Socii ornatiſſimi!

Contemplantibus nobis mortalium vitas, ultro ſeſe triſtiſſima offerunt argumenta ingenioſiſſimos ſemper, ad ſe ipſos vexandos, homines extitiſſe, atqs omnium fere eorum, quæ humanum genus adfligat, malorum fontem et originem in ipſo hominum ingenio quærendam eſſe. Ita perſpicuum eſt, melius atque tranquillius nos vivere poſſe extra nimiam et anxiam futuri curam. Tunc noſtra tranſit ætas, rivo ſimilis, ſerena tempeſtate, nullis æſtuantibus undis, leniter inter virgulta fluente, cujus planities ſpeculi inſtar, inſpicientium arborum imagines reddit. Tunc amœnius nobis vernum adridet cœlum, ſol clarius ſplendet, et cuiqs gaudia cujusmodi ab alma matre natura cumulate præbentur, patentior eſt animus et adcomodatior. Verumtamen ſtulte provida plerumqs hominum mens futurarum rerum proſpectu angitur, nec ſinit nos lætari præſentibus bonis. Ecquid juvat tandem ingruente olim ingrata ac ſæva ſorte, nosmet ipſos anxietate animi iis bonis, quæ benignus mortalium parens, ceu adverſarum rerum lenimenta conceſſit, minus ſapienter uſos, fructu illinc nobis deſtinato nos privaſſe? Jam ſi repentino caſu aliquo corripiamur: unde ſolatium et levamentum nobis parabitur, omni robore jam antea mœroribus ac ſollicitudinibus infirmato, vique animi et alacritate, qua vel maxime ad ſuſtinenda duriora opus erat, exempta atqs conſumta? Succumbentes nunc ſub mole infortunii, deqs ſalute noſtra deſperantes, miſerandam ſortem deploramus; immemores ſcilicet, cuiqs ſua data eſſe gaudia, ac ne nimium iisdem indulgeamus, gravioribus quandoqs caſibus temperari. Ex ipſis voluptatibus igitur et

amoenitatibus vitae, earumque moderato usu, adversus subitas tempestates et incurrentia mala vires nobis haurienda sunt. Quocirca sapientissimum Senecae praeceptum sequamur: "protinus vive". Praesentis vitae commodis, ut fieri potest, optime utamur, et animum contra inexorabilis fati acerbitates, tristitias, luctus eorum quibus maxime delectati fuimus mortes, et solitudinem maturae confirmemus. Olim juvabit, bona, quibus fruebatur, meminisse. Cavendum tamen erit, ne in aliud extremum prolabamur brutorum animalium instar in diem vivendo haud ulla instantium et consequentium cogitatione. Beatus ille, qui, quod medium inter est, obtinet. Sperat enim infestis, metuit secundis, alteram sortem bene praeparatum pectus. Sapiens nullis futuri curis angitur, ipse sibi suffecturus. Non pendet ex inconstantia fortunae quies ejus. Pauca desideranti nihil deest. Neque imparatum offendit eum asperior sors. Haud ignarus non in perpetuum aut adversas, aut secundas res esse duraturas componit atque informat mentem ad vicissitudinem rerum extra se positarum. Ac sicut animus noster pronus ad motum est, ita multo volubilior etiam externarum rerum conditio esse deprehenditur. Et infinitum est, quantum natura ad minuendas hominum molestias calamitatesque praestiterit. Ea quidem infantulos miseriarum sensu ipsa prohibuit, juvenili aetati vigorem et ~~[illegible]~~ levitatem quamdam beneficii loco indidit, viros constantia atque patientia instruxit, senum denique animos diuturno vitae usu variationibus et conversionibus suetos, quasi obduruit. Superest vel potentissimum sufferendis malis subsidium, immortalitatis fides. O beatam mortalium sortem, vel ob id ipsum, quod Deus, densa caligine involutam eventurarum rerum cognitionem occuluit. Mutantur enim tem-

pora, et nos ipſi ex ſapientiſſimo conditoris rerum con-
ſilio mutamur cum illis. Qui enim alioquin fieri poſſet,
ut nec gaudiis nimium indulgeamus, nec mœroribus pro-
fus conficiamur? Pronus in vota noſtra, divinus parens
e ſuprema ſapientiæ lege omnibus conſulit. Nihil ergo
de futuris rebus trepidandum, ſed quidquid evenerit
firmo fortiq; animo ſubeundum erit. Nec est quidquam
adeo difficile, quin poſſit conſtantia animi aut ſupera-
ri, aut certe adlevari. Et quod plurimis rebus impares
ſumus fit hoc magis ex deſperatione, quam ob infir-
mitatem naturæ. Præterea est ea fere humanarum
rerum conditio, ut plurimum ex ipſa miſeria quæ
forte intolerabilis nobis videbatur, aliqua jucunditas,
et ex rebus adverſis lætiora ſequantur. Itaque veriſ-
ſime olim jam celeber poeta Horatius, canit.

Lætus in præſens animus quod ultra est oderit
curare, et amara lento temperet riſu: nihil est ab
omni parte beatum.